

Ipse nova primus suffudit luce retexens,  
 Omnes & fraudes sustulit, & tenebras,  
 Gliscere verbosum suevit quibus ante lyceum,  
 Et vocum lites conserere omnigenas.  
 Namque ubi dispexit nullam rem posse meando  
 Uno eodemque statim tempore diffugere  
 Per saltum abreptam, paullatim at sumere vires,  
 Paullatim & sumptas ponere, perque gradus;  
 Protinus edixit vim quoque in corpore inesse,  
 Quæ modo in occursum dissita cuncta trahat,  
 Ac modo, quum proprius venere attracta, repellat,  
 Mutuo & attractu cuncta coire vetet.  
 Partibus unde etiam nullis, nullaque figura  
 Prædita materia scire elementa licet,  
 Exigua, atque minuta, inter se se obsita inani,  
 Hinc atque hinc hærere haud minus apta suo  
 Usque trahentis, pellentisque in limite. Ita omnes  
 Rerum corporeæ proveniunt species  
 Dissimiles positu diverso principiorum,  
 Diverso & qui eadem limite limes habet.  
 Non ego sed tota si proluar Hippocrene,  
 Non si Gorgoneo deferar altus equo,  
 Omnia jam possim complecti arcana reperta,  
 Dicere nec quanta hinc fluxerit utilitas,  
 Quanta seges rerum, rebus quam certus & ordo  
 Omnibus, & ratio scilicet, & species.  
 Certius en multo jam nunc natura profatur,  
 Quam Clarii sacro Pythia de tripode,  
 Illius e scriptis, audax quæ carpere frustra  
 Livor, & incani temporis arma volent.  
 Hunc ne ego sic meritum non optem vivere longum,  
 Cumquamque etiam vincere Deiphoben?  
 Ah valeat, vigeatque: illum donare salute,  
 Et rapidum nostros in mare ferte metus